MEMORIA

GUILELMI ESSERI

PHILOSOPHIAE DOCTORIS EIUSDEMQUE IN ACADEMIA MONASTERIENSI
PROFESSORIS P. O.

ACADEMIAE SENIORIS

ORD. AQUILAE RUBRAE QUARTAE CLASSIS EQUITIS

CELEBRATA

IN AUSPICANDO SOLENNITER MUNERE ACADEMIAE RECTORIS

DIE XVI. NOVEMBRIS A. MDCCCLIV

A

FRANCISCO WINIEWSKI

PHILOSOPHIAE DOCTORE, LITTER. ANTIQU. PROFESSORE P. O.

EIUSDEM ACADEMIAE H. A. RECTORE.

MONASTERII GUESTPHALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA

MDCCCLV.

Praefatio.

Guilelmus Esserus, clarum in Guestphalia et apud Rhenanos nomen doctoris, quum proxima aestate continuis laboribus in edendo potissimum opere de psychologia consumptis defessus, ceterum sine ullo laesae valetudinis, qua fere semper usus est inconcussa, indicio, ad aquas Sodenas prope Francofurtum esset profectus, ut in amoena loci opportunitate cum amico veteri et fidei per vitam usque probatae, Theodoro Brüggemanno, viro citra omnem titulorum splendorem in re publica pariter ac in ecclesia optime cognito, feriarum autumnalium otio frueretur, subita febri correptus est graviter quidem, neque tamen adeo, ut ullius periculi metus instare videretur. Sed quum ad morbum commodius curandum cum fida, quae sibi aderat, vitae socia Marcodurum, natale sibi oppidum, ubi quotannis feriarum autumnalium tem-

pore commorari solebat, aegrotans esset transvectus, gravius deinceps succubuit, atque ingravescente iam et summa suorum et medicorum conamina eludente typho celeriter deficientibus viribus post aliquot iam hebdomadas placide vitam finivit die VI. mensis Octobris. Hic tristissimus casus, nuntium de morbo eius vix pervulgatum e vestigio secutus, non potuit non communem omnium, quibus ille notus erat et carus, luctum movere, utpote de obitu viri multis nominibus optime meriti, Academiam autem Monasteriensem, cui ille per annos unum et triginta vitam viresque desponderat, tanto decore iam orbatam, non summo dolore percellere. Qui dolor praeter exspectationem exortus augebatur quodammodo etiam eo, quod ille eo ipso fere momento improvisa morte abreptus est, ubi summum Academiae magistratum, nimirum Rectoris, maxima cum laude antea pluries gestum, denuo initurus erat. Quo magis is, qui in hunc demortui locum recentibus collegarum suffragiis erat creatus, suum esse arbitratus est, in adeundo solenniter magistratu suo die XVI. Novembris, ad quem diem superioris anni Rector, Vir venerabilis Laurent. Reinke, S. Theol. et Philos. Doctor, atque illius Professor P. O., ecclesiae cathedralis Monasteriensis canonicus, munere illo perfunctus est,

quo suo ipsius et Auditorum desiderio satisfaceret, demortui memoriam celebrare. Secutae sunt hanc publicam pietatis testificationem postridie, die XVII. Novembris, exsequiae solennes in aede S. Petri, publica Academiae invitatione promulgatae. Quibus sacrum sacrificium obtulit quem modo nominavimus Academiae Prorector Laur. Reinke, lugubres inter cantus iuvenum studiosorum, praesentibus et preces suas cum Academiae Professorum, Doctorum, Commilitonum frequenti corona iungentibus Reverendissimo episcopo Monasteriensi, demortui familia multisque aliis, amicitia et pietate adductis.

Ut autem ex more maiorum etiam in posterum exstaret memoria viri de Academia optime meriti, orationem, de qua modo relatum est, hisce edendam curavimus, autoritate Senatus academici et excitatione multorum virorum probatae dignitatis iudiciique, qui eam audiverant. In qua quum multa ad tempus dicta sint, et quatenus in laudatione non adeo explicata, quantum in enarranda vita fieri potest, omnia quae accuratiore explicatione egebant, oratori minus congrua, quod attinet tempora et rerum rationes et scriptorum elenchum, ea in Addendis et Illustrandis ad calcem addita sunt, qua potuit cura et diligentia. Quibus adiunctis haud quidquam gravio-

ris momenti desideretur, quod ad cognoscenda demortui vitam et merita scitu dignum videatur. Habeat igitur sibi Esseri imaginem, cui ille notus fuit et carus. Sit autem ea simul monumentum pietatis erga doctorem et collegam desideratissimum cum Academiae tum eius, qui publici officii partes susceperat, utinam idoneum ad tot tantaque Viri merita posteritati tradenda. Tu vero Esseri pia anima, in beatioribus, quod Deus tribuerit, locis iam reposita, have!

Monasterii Guestphalor. die XXV. Ianuarii
MDCCCLV.

Academiae Curator perillustris, Vir excellentissime, Episcope reverendissime, divinae et humanae sapientiae Doctores et Professores summe venerabiles, doctissimi, clarissimi, Collegae coniunctissimi, Commilitones humanissimi, omnium Ordinum quotquot adestis Auditores, suo quisque loco suoque titulo spectatissimi!

In adeundo munere honorificentissimo, quale a collega summe reverendo mihi modo traditum percepistis, si alias laetis a sensibus et gratiarum actione fas est dicendi initium facere, equidem, fieri non potest, quin diversis affectibus et vel gravissima tristitia animo vehementer commovear. Atque communis nostri moeroris quae sit caussa et quanta, quantam iacturam inopinato fecerit res publica nostra, a decessore meo summatim indicatum est. Mihi vero, quem, novum iam Academiae Rectorem, eiusdem calamitas novissima gravissimaque nemine minus percellere debet, peculiares accedunt caussae, ut summo dolore afficiar. Quem enim omnes improvisa morte nobis ereptum lugemus, idem me perpetuum fere testem ac socium habuit vitae in Academiae commodis et muneribus a se peractae. Nam quos ille hic apud nos gloriosissime consumpsit annos triginta et unum, eorum novem et viginti equidem eius fui collega. Quodsi vero ipsa iam temporis commu-

niter transacti diuturnitas munerisque societas natura duce familiaritatem magnam parere solet, Guil. Esserus is mihi simul fuit, qui iuvenem me studiis litterarum modo perfunctum atque in ipso veluti vitae limine stantem, e longinquo peregrinum novas sibi in regiones et condicionum difficultates subito delatum, primus amice excepit, anxium corroboravit, haesitantem cohortatus est, experientia sua firmavit, ubique et tum et posteris temporibus amicum se praebuit probum, fidum, sincerum. Nataque inde animorum communitas aucta in dies est et firmata vitae usu, studiorum societate, negotiorum publicorum actione, almaeque huius litterarum matris pari utriusque amore et reverentia. Quem igitur Academia sibi luget ereptum doctorem eximium, consultorem expertissimum, rerum suarum advocatum summis in regionibus strenuum et indefessum, equidem amisi collegam et amicum per longissimum temporis spatium mihi coniunctum, bene cognitum, probatum, aestimatum, dilectum. Atque in eiusdem viri locum, quem ille locum luctuosissimo suo obitu orbatum reliquit, scilicet summi Academiae magistratus gerendi, me nunc succedere iubent collegarum vota benigna, a summo, qui rebus ecclesiasticis et scholasticis praeest, regio magistratu gratiosissime confirmata. Vere igitur honoris haec ac laetitiae opportunitas mihi esse non potest sine acerba animi recordatione. Atque iam veniam dabitis, Auditores, humanitati, si quae collegae tali quae amico debeam, nolui dissimulare.

Sed nunc tempus iam adesse videtur compescendi dolorem. Quippe ad agendum provocati sumus, quibus summa rei publicae nostrae cura gratiosa collegarum voluntate concredita est. Faciamne igitur, id quod opportunitas haec exigere videtur, ut quae a bono consule desiderentur exponam? Sed nolite exspectare, Auditores, me tirocinium artis coram Vobis positurum esse, qua probatus iam et fere rude donatus

in hunc locum ascendi: exposita haec a me sunt iam ante hos sex quidem annos, quum eundem magistratum inirem, neque minus probata iam existimo, quae a me nunc sint exspectanda, iterum eodem magistratu iamiam functuro. Quodsi vero gesti iam muneris ratio vim aliquam habuit in novissima collegarum vota benigna, quibus in summum hunc locum sum evocatus, certe quantum in me est non deero, quin fiduciae in me positae satisfaciam. Ad quod adest vetus animi vigor, Academiae amor et pietas, aetatis iam provectioris fortasse maior experientia, accedit temporum ratio longe felicior. Turbata enim tum medullis ac visceribus suis erat res publica, concussae Academiarum condiciones. Nunc hac ex parte aequa omnia et serena, Academia decessorum meorum, et quem mihi potissimum appellandum censeo, novissimi Rectoris cura ac prudentia optime ordinata, conservata, iuventutis moribus optime probatae corona florentissima. Quorum omnium decessori meo proximo eo magis gratiae a me referendae sunt, quod vel post temporis sui decursum non destitit orbum tamdiu successoris ingenue locum explere. Sed in collegarum ac doctorum sua cuiusque laude dignissimorum consessu dum circumspicio, nihil est quod animum altius tangat et mentem ac cogitationem meam in se convertat, quam una illa ac praestantissima philosophiae sedes orbata. Cuius iacturae quidem mox in posterum reparandae cura Ordini committetur philosophorum. Nunc vero aliud indidem sese offert officium sanctissimum carissimumque, novo Rectori in hac ipsa solennitate protinus exsequendum.

Legimus, apud Athenienses institutum fuisse, ut in creandis summis eorum magistratibus, quibus nomen erat archontibus, inter ceteras severi examinis partes etiam hoc quaereretur, utrum creatus pietatem erga parentes observaverit, eorumque sepulcra solitis honoribus exor-

narit. Simile officium quin mihi nunc obversetur, nemo Vestrum in dubium, Auditores, vocabit, ut etsi non parentis, at collegae coniunctissimi, at Academiae Senioris, at veri studiosae iuventutis parentis Manes debitis condecorem laudibus. Redeo igitur ad Guilelmum Esserum, eiusque depicta quasi vitae morumque imagine merita Vobis proponam, unde qualem iacturam fecerimus, quale exemplum nobis imitandum ille reliquerit, perspicue elucebit. Qua re cum Vestro, Collegae honoratissimi, tum etiam Vestro, Commilitones humanissimi, desiderio, denique omnium, quibus ille carus fuit et notus, quosque tam frequentes huc convenisse video, exspectationi satisfacturum me esse confido.

Natus igitur est Guilelmus Esserus anno superioris seculi nonagesimo octavo ineunte *, Marcoduri, oppido haud ignobili provinciae Rhenanae, inter Aquisgranum et Coloniam sito, parentibus honestis ac pietatis eximiae, mediocrem quaestum frugibus mercandis exercentibus, non angusta quidem fortuna. Institutio, qua puer et iuvenis usus est, funesta in tempora incidit, quibus Francogallorum victricia arma, pristino rerum publicarum statu illis in regionibus everso, omnia instituta sursum deorsum miscuerant non sine magno cum universae rei scholasticae tum vero maxime humanitatis sacris litteris excolendae detrimento. Itaque, quamvis sua in urbe non deesset schola superior qualiscunque, tamen ut melius prospicerent futurae filii felicitati, decem annorum puerum parentes erudiendum tradiderunt viro et pietate et doctrina et latine scribendi loquendique arte perquam insigni, qui Societatis Iesu quondam sodalis **, post sublatum multum decantata illa rerum ac temporum vicissitudine Ordinem suum, animarum pastoris munere fungebatur Rathemii prope Heinsbergam ad Rhenum, simul ut instituendae artibus liberalibus iuventuti delectae

operam daret *. Atque qualis fuerit haec institutio, qua ille per quadriennium usus est, apparebat in tota fere nostri posteriore vita atque doctrina duobus quasi luminibus. Namque latine scribendi loquendique artem elegantissimam, qua conspicuus erat, huic se viro debere ingenue profitebatur, et quam animo fovebat pietatem erga Deum sinceram et divinarum rerum cognitionem, eius hic primos spiritus imbibisse putandus est. Deinde duobus annis in philosophiae elementis et Graecarum litterarum studiis Marcoduri peractis, duce ac doctore alio quodam eiusdem Ordinis olim socio **, Coloniam petiit vere anni h. sec. decimi quarti, aetatis anno sexto et decimo, divinis potissimum litteris operam daturus sed ita, ut nec philosophiam neque elegantioris antiquitatis negligeret studia ***. Erat hoc illud fere tempus, quo foederatorum principum armis trans Rhenum et vel in ipsam imperatoriam Galliae sedem translatis, nova apud Rhenanos rerum condicio parabatur. Nulla tum quidem in hac celeberrima quondam litterarum sede exstabat universitas, exstincta superiore iam seculo exeunte post prolatum ad laevam Rheni ripam imperium Francogallorum. Sed dum divinarum litterarum disciplinae in seminario tradebantur clericali, philosophicum aliquem cursum obtinebat schola ab illis instituta, quae secundaria dicebatur gradus superioris ****, in qua mathesis cum disciplina naturae, logice cum litteris eruditae antiquitatis, denique aesthetice suos quaeque habebat professores insignes, veluti Wallrafium ultima, Heuserum, aliquot annis post gymnasii Coloniensis, quod catholici nomine fertur, directorem, disciplina antiquitatis. His igitur tria per semestria usus est noster moderatoribus, ceterum scholarum, quae in seminario habebantur, auditor. Eratque hoc temporis spatium permagni in eius studiorum cursu momenti, utpote in urbe perantiqua et magnarum rerum memoria abundante peractum. Cuius quum saepe

recordatione delectaretur, inter doctores Wallrafii, cari hodieque Coloniensibus nominis, in artibus, et Westhofii theologicis scholis prae ceteris captum sese et allectum postea praedicabat. Per aliquod iterum tempus apud suos commoratum recolenda inter studia instituendosque simul sororem ac fratrem, quibus natu iunioribus utebatur *, mox amici cuiusdam, insignem hodieque gradum publicum Coloniae obtinentis **, consilium impulit, ut ad haud ignobilem tum Universitatem Monasteriensem sese conferret. Indidem enim tum fere insignis philosophiae ac theologiae doctoris percrebruerat fama Hermesii. Quo duce brevi tempore tantam omnium exspectationem excitavit, ut, derelicta modo post biennium urbe Monasteriensi, iuveni vix annorum viginti, sociis Achterfeldtio, Neuhausio, Bussio, munus quoddam publice docendi Braunsbergae in Varmia offerretur ***. Sed eodem fere tempore nova Rhenanis litterarum affulsit lux, erecta splendidis sumptibus et regio apparatu universitate Bonnensi. Huc igitur allexit iuvenem litterarum cupidissimum eximia doctorum fama ipsis sub universitatis auspiciis, anno undevigesimo ineunte, ad continuanda cum philosophiae duce Hermesio, Bonnam hinc sub idem fere tempus accito, tum potissimum eruditae antiquitatis studia ducibus Heinrichio atque Naekio philologis celeberrimis. Quibus antiquitatis studiis ita se totum dedidit tantoque cum successu, ut et Seminarii philologici, ipsis universitatis initiis constituti, sodalis esset duos per annos continuos, et quod primum orbi litterario obtulit specimen ingenii ac doctrinae, idque haud vulgari laude exceptum, inauguralis esset dissertatio philologica, ex reconditiore antiquitatis cognitione petita „de prima et altera quae fertur Aristophanis nubium recensione“. Qua dissertatione et examinibus rigorosis viam sibi paravit ad artium liberalium magistri doctorisque philosophiae iura et privilegia impetranda ****.

Atque re vera in Essero rarae erant copiae omniaque ornamenta, quibus insignem in philologia locum in posterum esset occupaturus. Erat quidem in priore eius institutione, qua puer et iuvenis usus erat, hoc fortasse dolendum, quod per temporum illorum iniuriam et saepe interrupta erat neque ad rationem moderata et suis quibusque partibus absoluta, qualis nostrorum gymnasiorum propria est, quae dum grammaticam et antiquarum linguarum doctrinam ad exercendas et excolendas ingenii vires quasi fundamentum substruit, haud minus reliquas quoque cognitionis humanae partes artesque liberales adhibet, quae ad humanitatem omni ex parte sensim ac pedetentim erudiendam plurimum conferunt; e quorum numero est rerum gestarum memoria et geographia, mathesis universa et naturalis historia. Sensit hoc ipse vir egregius doluitque, atque quae sibi damna inde illata ingenue profitebatur, ea cum Bonnensibus studiis, tum provectiore etiam aetate summa diligentia reparare conatus est. Sed quam in his tum fortasse desiderares scientiam omnibus partibus absolutam, eam aequiparabat vel potius superabat in gravissimis excellentia, quae philologum praestare poterat perfectissimum. Referenda huc est linguarum et litterarum antiquarum cognitio eximia, latineque inprimis scribendi loquendique facultas, quae quanta fuerit, testis est hic ipse locus excelsus, ex quo tam saepe audita a nobis est vox eius latina et verborum delectu et numeris auditorum aures mire percutiens. Accedebat scriptorum antiquorum, praesertim latinorum mirus amor et assidua lectione parta familiaritas, quorum inprimis Horatium et Ciceronem vel memoriter tenere ei in deliciis erat, tamquam penum vel cornu copiae promptum, ex quo ubique petenda essent praecepta ad vitam moderandam idonea, animum excitantia, exhilarantia. Accedebant denique philologiae instrumenta

gravissima, interpretandi ars et iudicium criticum, eaque, quod raro apud philologos invenitur, philosophiae disciplina acuta et aucta.

Haec igitur omnia quamvis Essero viam ad ascendendum eximium inter philologos locum munirent, nihilominus, quum philosophiae doctoris gradum adeptus in eo iam esset, ut certam vitae et publici muneris rationem sibi deligeret, ad philosophiam, cuius amor et studium assidue culta praevalebant, animo et temporum ratione suadente, ad philosophiam, inquam, docendam animum appulit, praestitisque adeo quae praestanda leges academicae exigunt, in Universitate Bonnensi, quam almam sibi matrem venerabatur, Ordinis philosophorum privatim docens scholarum initium fecit autumno anni vigesimi primi. Quo in munere quid mox praestiterit, quantum eminuerit, testes sunt superstites adhuc illo ex tempore auditores eius, quos deinde in amicis numerabat, quibusque nunc una nobiscum obitus eius largam lugendi materiam praebuit *. Eximii igitur mox doctoris nomen adeptus, fieri non potuit, quin supremi magistratus, cui res ecclesiasticae et scholasticae in Borussia curae sunt, oculos in se converteret, ubi de eo iam agebatur, cui in nostra Academia, in cuius sinu ipse quondam nutritus erat, philosophiae professio traderetur.

Pervenimus igitur ad eum iam in vita Esseri cardinem, unde gravissima eius et ad mortem ipsam permanentia studia et occupationes initium capiunt. Erat enim autumno anni vigesimi tertii, annos abhinc triginta et unum, quum Guil. Esserus ad extraordinariam professionem vocatus huc domicilium transtulit, nunquam excepto ultimo morbo et luctuosissimo obitu deserendum. Hic igitur vitae quasi materiam invenit sibi propositam, in qua totum se viresque ingenii et doctrinae exerceret. Cui vitae materiae qua ratione responderit, ut accurate perspiciatis, Auditores, opus est quam brevissime poterit Vobis in

memoriam revocare, qui status rerum nostrarum fuerit eo tempore, quo primum Guil. Esserus nostris adnumerari est coeptus.

Tum igitur illa, quam Franc. Furstenbergius, vir immortalis memoriae, anno superioris seculi octogesimo *, modicis sumptibus sed magna prudentia exsurgere iussit, Universitas Monasteriensis regio decreto, anno et die Octobris duodevigesimo edito, duobus orbata ordinibus cessit in gratiam sororis Bonnensis, relictis ordine theologorum et philosophorum, ex quibus tamquam novae vitae seminibus Academiae hodiernae destinatum erat succrescere **. Atque illa quidem universitas quem ei Furstenbergius proposuerat finem, licet sine strepitu et clamore, tamen non sine laude expleverat, multosque viros suo e sinu emiserat, qui in maximis rei publicae et ecclesiae muneribus summa cum dexteritate, intemerata cum laude versati sunt ***. Sed quibus praeter scholarum praestantiam universitatum intus vis, extra existimatio continetur, litterariae supellectilis et apparatuum copia, institutorum cuiuslibet generis idoneus numerus et perfectio, rituum mos et celebritas, eorum omnium non erat ea condicio, ut nova Academia certo quasi posset potiri peculio, quod temporum rationi ita sufficeret, ut dignum inter pares locum expleret. Quid? quod vel ordinum iura et privilegia, dudum quidem a summo pontifice et imperatore sancita, quia eorum nondum factus erat usus, sua vi privata iacebant. In hoc igitur rerum statu, ubi de eo agebatur, non ut amissa quidem recuperarentur, sed ut relicta sarta tecta servarentur, et nova pararentur meliora et temporum rationi convenientia, nullis adhuc exstantibus Academiae legibus et statutis, sed in posterum experientia duce constituendis et promulgandis, professoribus qui aderant, licet sua arte et doctrina eximiis, quippe ex egregia Furstenbergii adhuc schola et institutione profectis, sed aetate iam provectioribus, a novo rerum ordine alienis atque, utpote

in Universitatibus parum versatis, antiqua et inveterata servare magis pronis quam nova commoda invenire et parare properantibus, in hoc, inquam, rerum statu maximi erat momenti adesse virum in ipso aetatis flore, viribus strenuis, pari ingenii alacritate ac prudentia, doctrinae auctoritate permagna, institutorum academicorum insigni peritia, virum denique nostrarum rerum et catholicae fidei amore sincero ardentique, et qui necessaria a levibus, loco cuique convenientia ab alienis discernere et quae bona viderentur etiam procurare, parta defendere, nova proponere ore ingenioque, ac doctrinae praesidio firmare valeret. Talem se mox praestitit noster et ita praestitit, ut postquam primum eximii doctoris famam et existimationem apud iuvenes studiosos est assecutus adeo, ut duobus annis nondum praeteritis ad ordinariam philosophiae professionem eveheretur *, nihil fere fieret publice privatimve, ad Academiam pertinens, sine eius ope consilioque, utque gravissimae quaeque res ei elaborandae committerentur. Quidquid igitur in illis exsistentis Academiae temporibus factum est boni et fructuosi, in describendis quibusque statutis ac legibus, in constituendo Seminario paedagogico et philologico, in adumbrandis academicis documentis, quaeque id genus reliqua apud nos nunc usum habent, in ordinandis denique cuiuslibet generis ritibus, illum habuit nisi auctorem, certe participem et adiutorem. Inprimis eo conatus suos assidue dirigebat, ut Academia neque nimis angustis finibus coerceretur, et quem finem sibi destinatum videret, ad eum iuste exsequendum omni ex parte esset instructa, ut, minore licet ambitu, dignum tamen inter ceteras Germaniae sorores locum occuparet. Quem ad finem quum maximi esse momenti intelligeret, ut uterque ordo, quibus erat ab Universitatis origine iuribus summos honores impertiendi ornatus, eorum etiam uteretur facultate, privatim et publice, per ipsam haud minus Acade-

miam quam per Ordines provinciae Guestfalae aliquoties convocatos constanter eodem elaboravit, donec, quod summopere exoptarat, concessum videret *. Neque destitit unquam ab hac rerum nostrarum cura et assiduo studio ac labore in eas consumendis, donec accitis paulatim recentibus iuniorum collegarum viribus conatus suos cum his communicare posset. Sed ne tum quidem eum unquam dereliquit ardens Academiae amor, quoties agebatur de Academiae iuribus defendendis, honoribus promovendis neve negligendis vel iis, quae formae quidem speciem habent, sed ad existimationem eius publicam vim habent maximam. In Senatu, in Ordinis consessibus, publice privatimque, cum ore tum scriptis, re et consilio totum se Academiae existimationi devovit. Quo in studio suppeditabat ei maxime historia ut Universitatum generalis sic nostrae praecipue pristinae, quam nemo illo accuratius novit. Estque hoc in maximis eius meritis numerandum, quod cognitum habens, quanti momenti sint antiquorum institutorum traditiones, ab initio eo tetendit, ut undique colligeret documenta antiqua illam illustrantia. Quo magis dolendum est, historiam Universitatis nostrae ab illo non esse conscriptam, nisi in Furstenbergii vita aliquatenus, ad quod opus nemo illo instructior erat et aptior. Conatus eius promovendae qualibet parte Academiae nostrae pluribus exemplis illustrare supersedere possumus, cuius rei recentissima memoria viget apud omnes, quorum interest. Unum tamen facere non possum, quin memorem. Erat apud illum rituum acedemicorum et solennitatum permagna aestimatio, ex antiqua Universitatum cognitione percepta. Recte enim iudicabat, Academiam nullam esse, nisi in publicum prodeat, vires exerceat, quid valeat monstret, dignitatis gravitatisque suae sibi sit conscia, nullamque occasionem augendae publicae suae existimationis omittat. Magni praeterea momenti ducebat vim, quam eiusmodi solen-

nitates habeant ad adolescentium animos movendos et ad generosa quaeque consilia excitandos. Quibus omnibus plurimum ad florentem Academiae statum et promovendum et conservandum conferri persuasum habebat. Eo igitur studium suum constanter dirigebat, ne qua solennitas negligeretur, solennitati autem sua cuique accederet dignitas. Magnam vero dignitatis speciem ponebat in lingua Latina, cuius usum in dies magis magisque evanescere vel apud ecclesiae catholicae ministros ipsosque theologorum ordines in Germania quosdam non sine moerore, quin etiam indignatione animadvertebat. Hac igitur in re Academia nostra quantum debeat Essero enarrare difficile est, qui ipse egregio suo, quo pollebat, ore Latino omnibus praeibat. Ac quotcunque apud nos habentur orationes publicae ore Latino in cuiuslibet generis solennitatibus, in nataliciis regis, in Rectorum inaugurationibus, in funebribus laudationibus et promotionibus, earum omnium ille agmen ducit, dignitatis, quae esse non potest sine sermonis elegantia, amator assiduus *. Sed haec hactenus de Esseri in Academia constituenda promovendaque meritis summis nec unquam obliviscendis, quae quo ille studio erat indefesso multum etiam cumulaturus fuisset, nisi consilia eius inopinata pro dolor! morte fuissent praecisa. Qua in parte non putavi hoc loco altius perscrutandum, quae privatis et amicis conatibus Academiae summis in rei publicae gerendae regionibus effecerit bona, ne amicitiae et familiaritatis videar improbus resignare secreta.

Iam quid dicam de Essero iuventutis studiosae doctore? Sed antequam de doctore dicam, dicendum videtur de doctrinae eius ratione. In qua, ut ex antecedentibus liquet, maximam apud eum vim habuere antiquarum litterarum studia, summopere olim ab eo culta et adamata. Quibus quantum debuerit, ingenue ipse semper professus est laetissima recordatione eius temporis, quod in Universitate Bonnensi

his in studiis consumpserit et grata commemoratione eorum virorum, quibus ibidem usus est moderatoribus, monstrat denique Henrici Grauerti vita, ante hos tres fere annos ab eo eleganter conscripta *, plena temporum illorum ac studiorum grata memoria, et qua simul splendidum eius aetatis illisque viris quasi pietatis monumentum exstruere voluit. Ceterum studiorum illorum ut omne sanum principium a grammatica et critica arte ducebat, ita vim et finem gravissimum in ingenio eruditae antiquitatis percipiendo ponebat, quo sensus veri ac honesti et decori, verbo humanitas excoleretur. Hoc igitur fundamento superstruendam esse omnem nostram solidiorem doctrinam persuasum habebat, idque aliis ita commendabat, ut illum studia haec apud nos assiduum strenuumque defensorem ac promotorem habuerint. Quin etiam moderandis illis in Academiae huius Seminario philologico cum Nadermanno viro ingenioso, summe reverendo **, laudem meruit optimam. Aliud doctrinae eius quasi lumen erat divinarum rerum scientia, a cuius assiduis studiis ad philosophiae penetralia transgressus est. Doctrina autem si lectione paratur, ille memoriae quoque in ea maximam vim tribuit. Quam in rem saepe citare solebat Ciceronis illud „tantum scimus, quantum memoria tenemus“, exstatque eius egregia de hac sententia scriptio academica, qua quam vera ea sit, et argumentis ex re ipsa petitis demonstrat et luculentis exemplis ex historia litterarum desumptis illustrat ***. Atque ipse mirum quantum et antiquorum scriptorum locos et dogmaticas notiones et vel ipsas disciplinae suae definitiones ad verbum memoria conceptas habuerit. Quamobrem quaecunque ab eo audiebas, omnia clara erant et certa, perspicua et definita. De philosophia eius accuratius exponendi non est hic locus, sed qua ratione eam tractaverit, non omnino reticendum videtur. De qua in confesso est, insignem eam fuisse cum perspicui-

tate tum accurata definiendi ratione. Ad quae suppeditabat ei et ingenii mirum acumen et orationis facilitas et ubertas. Ad rem autem quod attinet, eam voluit apud nos tradi philosophiam, qualem fere Franc. Furstenbergius immortali suo ingenio delineavit, ut sit media inter artes liberales, quales in gymnasiis traduntur, et praevia ac fundamentum earum disciplinarum, quae artissimo vinculo cum vitae usu et felicitate humana cohaerent, ut argutias et vana acumina fugiat, contra ad captum iuventutis descendat eique et animum et facultatem afferat ad summum perfectionis gradum ascendendi et veri rationes illinc partas ad reliquas disciplinas vitaeque felicitatem transferendi, ut igitur sit suis quidem partibus absoluta, sed nullis figmentis repleta, tum ut sit accurata, denique ut ad usum accommodata *. Hac igitur via quasi per traditionem apud nos sancita insistens Esserus noluit philosophiam altius progredi, quam ratio humana suis finibus constituta patiatur, sed eam voluit apud nos tradi philosophiam, quae a recta humanae naturae et rationis cognitione profecta eaque innitens theologiae christianae praevia sit ad eamque commodum transitum paret. Quamobrem logicae et psychologiae praecipuam operam dedit, quarum etiam de altera in ipso statim curriculi academici principio edidit librum, psychologiae autem opus per longam annorum seriem continuo auctum perfectumque et perpolitum tandem in ipso vitae exitu in publicum emittere, quasi imminentis iam mortis praescius, properavit **. Ceterum in philosophia eius aestimanda non praetereunda videtur praeclara quam modo laudavimus litterarum sacrarum scientia atque doctrinae catholicae firma et ubique sibi constans persuasio et observantia. Quo ei facile erat errores vitare et, ubi paullulum ab ea declinaverit, rectam in viam deflectere.

His expositis, vix habeo, quae de docendi eius ratione addam. Quo successu docuerit, Vos ipsos, Auditores, testes appello luculentissimos, qui in eius quondam auditorum subselliis assidebatis. Cur eximii doctoris nomen sibi pepererit, caussae sitae erant in iis potissimum virtutibus, quas modo laudavimus, in rerum docendarum perspicuitate et accuratione, in orationis raro flumine et vocabulorum terso ac eleganti delectu, in voce denique perquam sonora accentusque cum logici tum oratorii iusta ubique observatione, quae omnia, eloquentiae simul ornamenta, ita apud eum erant coniuncta, ut, accedente omni elegantioris doctrinae copia, nemo ad ipsam eloquentiae artem exercendam illo aptior videretur, cuius etiam professione et munibus longum per tempus solus apud nos fungebatur. Exstantque eius muneris et artis splendidissima monumenta cum in orationibus editis, tum in diplomatis et publicarum solennitatum annuntiationibus ab eo conceptis *. Atque his cum virtutibus artissime coniuncta cumque uno ex fonte, nimirum ex antiquorum orationis exemplorum studio ac familiaritate profecta erat illa, quae saepius iam laudandi praebuit ansam, Esseri latinitas cum ore tum scriptis probata, ubique vituperio superior et vocabulorum delectu et structurae elegantia et periodorum numero, ibi vero praecipue excellens, ubi in materia oratori propria aut propinqua excurrere seque effundere posset. Tum ille mirus et verborum abundantia et numerorum copia etiam delectabat colore quodam poetico, percutiebatque sententiarum gravitate, movebat exemplorum efficacitate, verbo ad quoscunque praestantissimos latinitatis artifices recentior numerat aetas proxime accedens. Neque minus felix et ingeniosus erat in genere scribendi lapidario, quale inscriptionibus proprium est, ubi multa uno duobusve verbis tamquam symbolice exprimenda sunt, et

magnifice significanda magis quam explicanda, cuius generis etiam supersunt aliquot exempla egregia *.

Reliqua, quae sibi diversis aliis muneribus, Seminarii philologici moderator, paedagogicae professor, Collegii examinandis scholarum superiorum candidatis socius et per aliquod tempus praefectus, in diversissimis denique Academicis magistratibus iterum iterumque gerendis merita acquisiverit, illustrare supersedemus, ne nimia laudis cumulatione taedium scientibus moveamus. Quid multa? Ubique virum bonum se praestitit. Quod quid sibi velit, elucebit humanitate eius perspecta, ad quam iam convertimur.

Erant in Guil. Essero praeter ingenium et mentem, vel ipsa oculorum acie et toto oris habitu enitentes, multa naturae bona, alia palam sese offerentia, alia magis recondita. Corporis quidem habitus ac motus minus habilitatis et facilitatis ostendebat, quam eiusdem gracilitas et proceritas pollicebatur, ut etiam ipse ad ordinaria et quotidiana vitae negotia una venandi arte excepta, cuius egregie erat peritus, parum se aptum profitebatur; ceterum honesti ac decori studium vel ipsa corporis ac vestitus munditie apparebat. Iam primo quidem congressu et ubi inter diversos et parum sibi notos et familiares conspiciebatur, officiosus, taciturnus, absconditus, mox, recluso vicissim per longius colloquium pectore, animum benevolum, amicum, alienae sortis participem, inter amicos et familiares etiam hilarem et ad ioca propensum ostendebat, interdum vel teneris affectibus et caritati haud impar, alias assidua severitate conspicuus. Aliorum infortunio et egenorum sorte facillime commovendus larga manu inopiae succurrebat, et ubi te ei concrederes, ad opem ferendam pronus et facilis ad promittendam. Erant etiam aliquando quae reprehenderes, in quibus acer acerbusque et indignationi nimium tribuens ap-

parebat, in aliorum praesertim ineptiis iudicandis. Sed et has maculas, aliorum fortasse magis commercio sibi inspersas, provectiore aetate tergere et exstirpare et naturae illa praevalentia atque praeclara bona magis magisque excolere et rationis normae subiicere conabatur, accita in auxilium religione et philosophica persuasione. Quae religio atque persuasio quantum apud eum valuerit, quid effecerit, is praecipue affirmare potest, qui per longius vitae spatium quasi comes ei adstabat. Tantum igitur valuit, ut totam denique eius humanitatem occupaverit, et limpidus quasi fons profluens pura et nitida ferret. Ac religio quidem non verbosa illa et celeribus motibus et affectibus prona, sed animo penitus infixa, atque re, opere, consilio vim suam ubique exserens. Inter illas, quae inde originem duxere, virtutes referenda praeter pietatem ac morum sanctimoniam inprimis est in observandis et exsequendis officiis rara severitas ac religio. In scholis meditandis habendisque, in incipiendis et finiendis rigorosa fere diligentia, in Senatus et Ordinis consessibus assidua praesentia rarum praebebant academici professoris exemplum. Item in ferendis et observandis Academiae legibus pertinax, indignatione facile movebatur, si hilum ab iis recederetur, ceterum ad ignoscendum facile commodus. Humanitatis in unoquoque, qui secum congrediebatur, amator et cultor, alienus erat a doctorum virorum saepe offendente supercilio, ac dum cuique usum sui et aditum offerebat, iuvenes inprimis studiosos amore et benevolentia prosequebatur, tantamque adeo apud eos sibi fiduciam comparavit, ut in epistola nuper Senatui tradita verum sibi parentem mortuo illo ereptum lugerent. Denique bene de se meritos pietate, collegas reverentia, amicos, quos sibi permultos paraverat in diversis vitae atque honoris stationibus collocatos, studio et ardore, verum etiam cum libertate quae displicerent dicendi constanter prosecutus, in deli-

ciis habebat inter eos familiariter versari atque suos inter parietes, quos proba cum uxore generose et liberaliter hospitio aperiebat, severitate exuta animum hilaribus sermonibus recreare. Atque amicitia et pietas erga alios quid apud eum valuerint, egregia exempla in promptu sunt, etiam in publicum ab illo prolata. Mortuus est ante hos fere octo et viginti annos Augustinus Pilgrimius, vir ingeniosus, in Academiae huius theologorum Ordine privatim docens, in ipso iuventutis flore et postquam per aliquot tantum semestria in docendi munere consumpsit sed ita, ut futurorum eventuum summam spem et maximum sui desiderium excitaverit. Huic noster admodum familiaris amicus non acquievit, donec parentalia publice fierent splendida pompa, funebri Aulae vestitu, cantibus et solenni laudatione instituta. Quam laudationem ab ipso habitam excellentem postmodum edi curavit, exstatque illa Esseri et oratoriae artis et amicitiae monumentum perquam insigne. Atque ut hic amicitiae, ita quattuor annis post pietatis suae singulare testimonium praebuit, habita simili solennitate doctoris plurimum a se dilecti, Hermesii, laudatione. Neque vero haec amicitiae ac pietatis, sed generosi simul animi sunt documenta, quo in aliorum vitiis iudicandis ad clementiam pronum, quidquid ubique boni ac probi, ingenui et honesti inveniebatur, illum habuit laudatorem disertum.

Sed quo propius ita nobis accessit ipsa Guil. Esseri persona, eo magis acerba animum recordatio tangit, atque ultima quae memorata sunt iam admonuere, quo in casu ipsi versemur. Illud enim pro dolor! excellens ingenium, illa virtus, illa humanitas morte exstincta subita est, nec nisi vestigium, quo ille institit, apud nos intuemur. Atque, quod Cicero in L. Crassi oratoris morte narranda exclamat *, cum nostris iam fere affectibus convenit: „O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam et inanes nostras contentiones! Quae in medio fere

spatio franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.“ Namque in ipso aetatis vigore et qui per longam adhuc annorum seriem Academiam illius ornamento usuram polliceretur, quippe quinquagesimum et septimum annum agens ille ex vivorum numero, ex collegarum orbe, ex suorum consiliorum medio cursu evocatus est! Attamen neque inanes Esseri contentiones, neque ille portum non conspexisse putandus est. Exstant et vigent vigebuntque, quae ille conatibus suis in Academia constituenda, ordinanda, augenda promeruit, exstant et felicissimos proventus habebunt, quae ille doctrinae et sapientiae morumque praecepta veluti semina in iuvenum animos iecit, exstat denique scriptorum ingenii monumentorum, quibus longe ultra patrios fines Academiae gloriam propagavit, haud exiguus numerus, de logica et philosophia morali, Hermesii et Furstenbergii vita, et maxime illud de Psychologia opus, summa aestimatione exceptum, quod vere cycnea vox illius dicendum est *. Sin vero apud antiquos iam hoc unum mortis solatium erat, bonis suam mercedem in coelestibus illis regionibus non defuturam, quo magis nobis Christianis sperandum est fore, ut noster etiam collega fortunatorum illum portum asseculurus sit, cuius vitam egregie gestam secuta est etiam mors digna, anima inter ipsas morbi molestias patientia et pietate erga Deum, ad extremum sacris ecclesiae opibus ac munimentis ad instantem sibi peregrinationem instructa et praeparata.

Quod superest, ad nos pertinet, Auditores, qui superstites vitae Guil. Esseri imaginem intuemur. Quorum primum est, ut si qua in eo sint pianda et abluenda, summo iudici perspicua et aperta, divinae misericordiae commendemus animam eius cum crastino die una cum solennibus ecclesiae precibus tum in posterum indefessi. Deinde si vel Romanis confiteri necesse erat, „cum maiorum imagines intueren-

tur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi", utinam illa Guil. Esseri vita sit exemplum in posterum imitandum, nobis, collegis eius, exemplum rari sincerique Academiae amoris, quo ille ipsis in extremis vitae adhuc tenebatur momentis, Commilitonibus exemplum honoris et dignitatis, studiis et virtute promeriti. Atque Vos inprimis, Commilitones, velim ultima haec verba novi Rectoris Vestri mentibus animisque figatis. Videtis iam, qualem Rectorem Essero demortuo amiseritis, cuius locum explendi sors mihi haud facilis cecidit. Quo magis mihi a Vobis petendum est, ut eius amorem in me transferatis, studiorum eius et contentionum pro Vestra omnium utilitate et felicitate ut diuturnum testem, ita, sic me Deus adiuvet, heredem futurum. Sublevate igitur paternam meam erga Vos voluntatem, quae Vobis nunquam deerit, fiducia in me ponenda, religiosa studiorum Vestrorum ratione et diligentia, legum obsequio, morumque probitate et sanctimonia. Dixi!

Addenda et illustranda.

Pag. 4. * mensis Februarii XXI. ** nomine Baumeister.

Pag. 5. * sex octove discipulis. ** Gymnasii Marcodurani tum directore, cui nomen erat Heimbachio. *** quibus philosophicis et philologicis studiis operam dedit duce potissimum Heusero. Rem ipsam illustrant sequentia. **** Cf. Bianco, Versuch einer Geschichte der ehemaligen Universität und der Gymnasien der Stadt Köln. Colon. 1833. pag. 106 sqq.

Pag. 6. * multum usque ab eo cultos et adamatos et apud quos autumnalibus feriis quotannis commorari solebat; quorum illa aliquot ante nostrum annos diem supremum obiit, hic etiam nunc inter gymnasii Marcodurani doctores bene meretur. ** Stuppii, consulis nunc Coloniensis, cuius nomen amicae communicationi debeo. *** Quale munus, incertum est; neque tamen adeo a verisimilitudine abhorret, philosophiae in Lyceo Hosiano docendae eum destinatum fuisse, commendatione Hermesii. **** Creatus est philosophiae Doctor et art. liber. mag., secundus in Universitate Bonnensi post Schopenium, V. Cl., Universitatis eiusdem nunc professorem P. O. simulque gymnasii directorem, die Augusti XI. a. MDCCCXXI, post disputationem publicam, cui XXVI theses controversae inserviebant, partim ex universo philologiae ambitu, partim ex philosophia desumptae. Ceterum dissertatio quam laudavimus inauguralis scripta est ad Elvenichium, V. Cl. Universitatis Vratislaviensis nunc professorem, cuius et Schopeni familiaritate tum maxime usus videtur esse, semperque etiam postea gratam colebat memoriam.

Pag. 8. * Scholarum eius iuvat afferre has ex Indice lectionum Universit. Bonnensis, qui forte ad manus est, ultimi quod Bonnae commoratus est semestris aestivi (MDCCCXXIII): Allgemeine Anleitung zum wissenschaftlichen Studium der Philosophie, Logik nach seinem Buche,

System der theoretischen Philosophie oder Metaphysik, nebst einer Geschichte und Kritik der vorzüglichsten philosophischen Systeme neuerer Zeit.

Pag. 9. * Cf. Esseri librum: Franz v. Fürstenberg, dessen Leben und Wirken. Münster 1842. S. 260. ** Verba haec ne malae interpretationi ansam praebeant, cfr. initium Academiae Monaster. statutorum, ab augustissimo rege Friderico Guilelmo III. sancitorum die XII. Novembr. a. MDCCCXXXII: „Nachdem Wir in Folge der Stiftung einer neuen Universität zu Bonn die juristische und medicinische Facultät der Universität in Münster mittelst Ordre vom 18. October 1818 aufgehoben, dagegen aber die beiden übrigen Facultäten, nämlich die theologische und die philosophische, in mildester landesväterlicher Erwägung... fernerhin bestehen zu lassen, Allergnädigst beschlossen haben." *** Sic atque iisdem fere verbis de Universitate illa Esserus in orat. „de Furstenbergio, litterar. et art. in Westphalia restitutore", praemissa Indici lect. Acad. Monaster. semest. aestiv. a. MDCCCXL. p. 19. Sed iuvat fortasse totum locum afferre: „Ex iis autem, quae diximus, colligere pronum est, quid exspectandum fuisset de Academia, quae principiis tam claris et distinctis, tam recte ex intima rei natura petitis inniteretur, nisi intercessissent inimica virtuti, inimica optimis litteris tempora. Quid exspectandum fuisset de Academia, quae licet ab omni clamore et strepitu semper abhorruerit, statim sic efflorescebat, ut omnium, quibus hoc tempore Germania superbiebat, Universitatum honestissima aemula ab exteris adeo iisdemque sapientibus et incorruptis iudicibus, maxime Gottingensibus, recte nominaretur. Quid denique exspectandum fuisset de Academia, quae licet formam eam ac speciem, quam animo suo impressam habuit Furstenbergius, nunquam prorsus assequuta sit, tamen tot viros suo enutrivit in gremio, quorum nomina non aliter, quam honoris caussa nuncupantur quique in maximis rei publicae et ecclesiae muneribus summa cum dexteritate, intemerata cum laude versati sunt aut etiamnum versantur."

Pag. 10. * exeunte fere anno h. sec. vigesimo quarto. Die etenim V. mens. Ianuarii a. MDCCCXXVI habuit orationem „de philosophiae cum publica hominum felicitate coniunctione", ordinariam philosophiae professionem solenniter auspicaturus, quae etiam typis exstat excusa.

Pag. 11. * Iuris ad summos honores promovendi, quod utroque Ordini inde a pristina Universitate erat annexum, etiam exercendi facultas theologorum quidem Ordini concessa est ipsis statutis academicis, promulgatis a. MDCCCXXXIII, sed philosophorum Ordini a. demum MDCCCXLIV.

Pag. 12. * Haud a re alienum videtur, nec sine aliquo momento ad ipsam Academiae historiam cognoscendam, uno hic in conspectu ponere ea ingenii Esseri documenta, quae autoritate quidem Senatus, ipsius tamen elegantissimo stilo exarata, suoque quoque tempora publicata, maxime digna videntur, ut unum in corpus collecta posteritatem ferant. Quorum primum est: publica primi Academiae Rectoris Hiacinthi Kistemaker renuntiatio ad cives academicos, die VII. Novembr. a. MDCCCXXVI promulgata. 2. Oratio funebris ad celebrandam memoriam viri venerab. et doctiss. Augustini Pilgrim, s. Theol. et litter. orientis Prof. publ. extraord., habita et typ. excusa Monaster. Guestph. a. MDCCCXXVII. 3. Laudatio funebris in obitum viri venerab. et doctiss. Georgii Hermes, s. Theol. in alma litterar. Universit. Bonnensi Professoris P. O., et nostrae quondam Academiae decoris, praeeunte sacro sacrificio die XX. Iunii a. MDCCCXXXI habita. 4. Oratio, in statutis Academiae per eiusdem Curatorem solenniter tradendis habita die VIII. mens. Februarii a. MDCCCXXXIII. 5. Epistola, qua „Viro citra titulorum splendorem venerabili Ant. Guilelmo Petro Moellero, s. Theolog. Doctori, per annos L. sacris muneribus recte perfuncto gratulatur Acad. reg. Monaster. die V. Maii a. MDCCCXXXV". 6. Oratio funebris in obitum augustissimi rel. principis ac domini Friderici Gui-

lelmi III., Borussiae regis, habita die III. mens. Augusti MDCCCXL. 7. Tabula votiva, qua viro reverendissimo Casparo Maximiliano Droste ex Vischering, episcopo Monasteriensi, susceptorum ante decem lustra sacrorum ordinum recordationem gratulata est Academia Monaster. die III. mens. Iulii MDCCCXLIII. 8. Diplomata, quibus illustrissimi viri Ioh. Henr. Sehmedding, in supremo senatu Berolin. res sacras et scholasticas administrante quondam consiliarius secretior, Franc. a Düesberg, provinciae Guestfalae nunc antistes et Academiae Curator illustrissimus, Petrus a Cornelius, nostrae aetatis celeberrimus pictor, philosophiae doctores honoris caussa creati sunt, primi post concessum Ordini philosophorum ius ad summos honores promovendi, publicata die XV. m. Octobris a. MDCCCXLIV, Essero Ordinis philosophor. decano et promotore legitime constituto. 9. Gratulatio, Universitati Regiomontanae festum seculare celebranti oblata per ipsum Esserum, hunc in finem ab Academia delectum et Regiomontum profectum, a. MDCCCXLIV. 10. Ueber das Verhältniß der Kirche zum Staate und über die Freiheit des Unterrichts. Zwei Gutachten der Akademie zu Münster. Der hohen deutschen Reichsversammlung zu Frankfurt a. M. und der Versammlung zur Vereinbarung der Preuß. Staatsverfassung zu Berlin im Juli 1848 ehrerbietigst überreicht. 11. Denkschrift über die Rechte der Akademie zu Münster auf ihre Localitäten. Ein Beitrag zur Geschichte der höheren Bildungsanstalten daselbst. — Als Handschrift gedruckt 1850. — Quibus omnibus accedunt programmata Indicibus lectionum Academiae praemissa ultra viginti, de quibus seorsim agetur infra.

Pag 13. * Praemissa illa est Indici lectionum Acad. Monaster. sem. hiberni a. MDCCCLII—III. pag. 3—19. ** Gymnasii Monasteriensis olim directore clarissimo, nunc vegeta senectute inter ecclesiae cathedralis canonicos usque bene merente. *** praemissa Indici lect. Acad. Monaster. sem. hiberni a. MDCCCXXXIX—XL. pag. 3—8.

Pag. 14. * Cf. Esseri librum: Franz v. Fürstenberg, 2ter Thl. S. 95–106 (Fürstenbergs Schulplan für die philosophischen (höheren) Klassen). Quem autem Furstenbergii aetate classes philosophicae habebant locum inter scholas inferioris ordinis (quod nunc gymnasium est) et studia quae dicuntur Facultatum, ad altiora vitae genera praeparantia, eundem in nostra nunc Academia obtinet, maiore licet ambitu, cursus annuus philosophicus, quo defungi ex antiquo ecclesiae catholicae more unicuique praescriptum est, antequam ad s. Theologiae studia transgrediatur. Quo fit, ut quae a Furstenbergio prudenter delineata sunt de studiorum philosophicorum ratione, ea etiamnum vim suam obtineant. Itaque disciplinae huius professori eo potissimum elaborandum est, ut, missis omnibus argutiis et perplexis rationibus, perspicue et accurate et ad vitae ac reliquarum disciplinarum usum accommodate rem suam tractet, utpote coram iuvenibus gymnasio modo perfunctis adeoque lente ac pedetentim ad disciplinae penetralia deducendis, qui recta via pedem ponere et alias in disciplinas inferre discant, neve nimiis difficultatibus ipso in limine impediti a praestantissimis et utilissimis studiis deterreantur. Id quod recte ab Essero intellectum summum erat principium in eius philosophiam docendi ratione. Quod mentem inducat necesse est, qui fortasse hanc eius rationem nimis angustis finibus circumscriptam putaverit.

Pag. 14. ** Iuvat ad haec citare ex nostri orat. de Franc. Furstenbergio (v. supra pag. 22) quae leguntur pag. 18: „Tertium denique est, quod Academiam habere voluit, quae doctrinae severitatem cum vitae usu consiliisque usquequaque coniungeret, sive, ut amplius dicamus, quae non solum ingenium rectis notionibus informaret, verum etiam partas notiones ad actionem et executionem applicare et accommodare doceret. Quapropter praeter theoreticas ubicunque practicas, ut dicunt, scholas esse voluit. —

Omnium autem doctrinarum nervum ac firmamentum eas litteras haberi voluit, quae traduntur a philosophorum Ordine; sine his claudicare Theologiam, vacillare Iurisprudentiam, titubare Medicinam, omnino persuasum habebat. Experientia se edoctum esse profitebatur, Theologum sine Psychologiae empiricae scientia nihil posse, cum illa multa posse; eandem vim et efficaciam nobilissimae huic disciplinae in alia doctrinarum genera tribuebat." Quibuscum conferri possunt Esseri verba de sua psychologiae tractandae ratione in Praefat. libri de psychologia: „Wenn sich diese Schrift von vielen der neuern Bearbeitungen der Psychologie wesentlich unterscheidet, wenn sie weder den Monismus noch den Monadismus zu ihrem Ausgangspunkt macht,... so beruht dies auf Gründen, die theilweise in dem Buche selbst zu finden sind. Vorzüglich war mein Bestreben dieses: zu einer richtigen methodischen Selbstbeobachtung, dem ersten Erfordernisse aller menschlichen Bildung, anzuleiten und dafür zu befähigen, die Verbindung und den Zusammenhang aller einzelnen Seelenvermogen von der untersten bis zur obersten Stufe in ihrem ununterbrochenen Ineinandergreifen wie Glieder einer Kette klar und deutlich nachzuweisen, für Wissenschaft und Leben, namentlich für die philosophischen und damit zunächst verwandten Studien im Sinne einer allgemeinen Vorbildung einen festen Anhaltspunkt zu geben; insbesondere zu zeigen, wie der Mensch durch den guten Gebrauch seiner höchsten Kräfte sich ausbilde, veredele, vervollkommne, durch den Mißbrauch derselben aber sich mißbilde, verunstalte, erniedrige, und in Laster, Elend und Schande aller Art bis zum unglücklichsten und verächtlichsten Zustande herabsinke."

Pag 16. * Eorum magna pars citata est in adnot. * ad pag. 12. Addenda hic sunt cum diplomata multa, tum vero programmata Indicibus lectionum Academicarum praemissa ultra viginti, in quibus sunt exhortationes et admonitiones civium academicorum ad studia recte capessenda et moderanda, annuntiationes quorundam Academiae institutorum, disquisitiones de argumentis ex reconditiore doctrinae sacrario petitis, inprimis ex philosophia et phi-

lologia, veluti de argumentis pro existentia Dei (MDCCCXL—XLI), de declamationibus apud Romanos (aestiv. MDCCCXLI), de Plinio Secundo (MDCCCXLI—XLII), de recentiore usu linguae Latinae (MDCCCXLII—XLIII), de Ciceronis oratione Marcelliniana (MDCCCXLIII—IV), de veterum Academiarum condicione (MDCCCXLVII—VIII), tria vero praestantiora; 1. quam saepius iam laudavimus Oratio seu disputatio de Franc. Furstenbergio, litter. et art. in Guestphalia restitutore (MDCCCXL), 2. Memoria Christophori Gudermanni, disciplinarum mathematicarum apud nos quondam Professoris celeberrimi (aestiv. MDCCCLII), 3. Memoria Henrici Guil. Grauerti, olim in hac nostra Academia, postea in Universitate litterar. Vindobonensi Professoris P. O. (MDCCCLII—III). Omnia vero haec maiora minorave cum egregia Latinitate conscripta sunt, tum reconditioris doctrinae floribus ubique referta et animum generosum spirantia. Eminuitque in his scriptionibus praeclarum Esseri ingenium etiam eo, quod materias sibi tractandas ubique elegerit non spinosas et aridas, quod saepissime fieri solet, sed ad usum et fructum studiosae iuventutis accommodatas.

Pag. 16. * Unum certe facere non possum quin afferam eius generis exemplum ex diplomate, quo philosophiae doctoris honos collatus est in celeberrimum pictorem Petrum a Cornelius „Artificem, haec sunt diplomatis verba, huius aetatis facile principem, cuius opera immortalitatis laude donata manebunt, quam diu arti et doctrinae, quam diu virtuti et christianae pietati sua constabit dignatio, virum omnibus ingenii animique praeclaris dotibus ornatissimum, summis mortalium honoribus auctum, non regibus solum atque principibus, sed Musis etiam et Gratiis carum.“

Pag. 18. * Cicer. de Orat. III, 2.

Pag. 19. * Haec sunt Esseri praeter scriptiones academicas, de quibus v. pag. 23 sq. et pag. 26, opera maioris momenti: 1. de prima et altera quae fertur nubium Aristophanis recensione, dissert. inauguralis Bonnae 1821. 2. System der Logik. Elberfeld 1823. Ed. secunda retractata. Monaster. 1830. 3. Moralphilosophie. Münster 1827. 4. Denkschrift auf Georg Hermes. Köln 1832. 5. Franz v. Fürstenberg. Dessen Leben und Wirken, nebst seinen Schriften über Erziehung und Unterricht. Münster 1842. 6. Psychologie. 2 Theile. Münster 1854.